

*Onologia.*

L. 19.

# Programm

des

**Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums**  
*zu Königsberg in der Neumark,*

mit welchem zur

öffentlichen


# Prüfung der Schüler

am 2. April

im Namen des Lehrer-Collegiums ergebenst einladet

*der Director*

**Dr. C. W. NAUCK.**



---

## **I n h a l t :**

- 1) De Athenagorae libro apologetico, qui *πρεσβεία περί Χριστιανῶν* inscribitur, vom Pro-  
rector Dr. Märkel.
- 2) Schulnachrichten, vom Director.

---

*Königsberg i. d. N. 1857.*

Druck von J. G. Striese.



Handwritten text in a non-Latin script, possibly Persian or Arabic. The text is partially obscured by a large, bold red 'X' mark drawn over it. The visible characters include what appears to be '375' and '275'.



# *De Athenagorae libro apologetico,*

*quæ πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν inscribitur.*

Qui accuratiorem historiae ecclesiasticae primaevae cognitionem sibi comparare cupiunt, praesertim ii, quibus ad ampliores librorum collectiones aditus non patet, jam dudum doluerunt, quod quum patrum, quos dicunt, Latinorum opera recentiore tempore saepius edita facili negotio acquiri possint, Graecorum libri historiam et fidem Christianam enarrantes et explicantes editores, qui iis interpretandis evulgandisque operam et diligentiam suam navarint, raro admodum nacti sint. Quod eo magis mirandum, quum neminem fugiat, quantopere Justini, Clementis, Originis, Eusebii, aliorum congestis doctrinae et scientiae thesauris in Graecorum Romanorumque antiquitatibus cognoscendis adjuvemur, quantumque etiam lucis intellectu difficilioribus classicorum scriptorum locis e diligenti patrum illorum lectione interdum affulgeat. Itaque non possumus Doctissimo viro non gratias agere, qui post octoginta fere annos elapsos nuper Athenagorae supplicationis editionem nitidam sane et perpolitam curaverit, eamque satis uberi et utili ad contextum, quem dicunt, constituendum et intelligendum apparatu instruxerit<sup>1</sup>). Est vero etiam liber dignus, qui diligentius examinetur et perpendatur. Etsi enim Athenagoras, cujus de vita et conditione nihil fere constat<sup>2</sup>), nisi eum Atheniensem philosophum -- eum ipse se appellat -- Antoninorum temporibus Alexandriae Catechetæ munere functum fuisse, inter eminentiora ecclesiae lumina numerari non potest, et nonnulla in libro ejus inveniuntur, quae majorem sibi vindicare auctoritatem non possunt, quam quae ex. gr. in libro illo Plutarchiano suppositio de fluviis legimus, tamen alia eaque non pauca ille memoriae tradidit, quae non tantum ad res Christianas illius temporis cognoscendas multum faciunt, sed quae etiam ethnicorum mythologiam, philosophiam, artis historiam bene illustrent; atque praeterea ubique talem se praebet scriptorem, qui er-

1. Athenagorae Atheniensis philosophi Christiani Supplicatio pro Christianis, cura et studio Dr. Ludwig Paul. Halis. 1856.

2. Neander hist. eccl. I. 756.

rare quidem potuerit, fallere noluerit. Hoc tamen non negaverim, esse quaedam, quae impediant, quominus editionem illam recentissimam omnibus numeris absolutam judicemus. Namque et desideramus prolegomena, quibus editor de libro ipso, de aetatis, qua conscriptus sit, conditione ac statu, de fine, quem autor sibi proposuerit, accuratius agere debebat, et in ipsis scriptoris verbis constituendis non omnibus locis pari felicitate usus esse videtur. Etiam si vero Cl. vir fortasse prolegomena non addidit, quod iis, quum pauca tantum sint, quae post Moshemium, Gieselerum, Neandrum de his rebus dici potuerint, supersedere posse putaverit, tamen quod in lectione libri nonnullae obveniunt quaestiones et difficultates, quas solvere operae pretium esse videtur, has nobis sumsimus pro virili parte solvendas, et quum verborum crisin ad multorum conjunctas vires pertinere nemo ignoret, nos etiam, quantum angusti nobis concessi disserendi fines permittunt, aliquos locos tractare aut emendare conabimur.

## I.

Notum est duo fuisse librorum genera, quibus Christiani ab injuriis et persecutionibus fidei causa sibi illatis se defendere studuerunt. Nam aut populis singulisve hominibus, absurda esse ethnicorum de numine cogitata et falsa quae Christianis objicerentur crimina aperte et justa disputatione probarunt, aut exstiterunt, qui quasi publico advocatorum vel patronorum munere fungentes imperatoribus magistratibusve Romanis Christianos, ut qui superstitionem pravam et immodicam exercerent legibusque Romanis obedientiam pertinaciter denegarent, in jus vocantibus, defensiones deprecationes supplicationes, ut eos a mortis periculo vel aliis liberarent malis, traderent. Longe diversus ut fuerit utriusque scriptorum generis apparatus ornatusque e fine utriusque eorum proposito necessario sequitur. Nihil enim obstetit iis, qui animos et verba ad omnes illius aevi et orbis populos sive ad privatos quosdam convertebant, quominus vehementissime in eos inveherentur et mores et cultum eorum acerbissime deriderent, at qui coram imperatoribus sive praetoribus verba faciebant, si opprobriis conviciisque in ipsos iudices vel in religiones legibus moribusque patriis sanctitas coniectis animos eorum jam ante abalienatos iratosque etiam magis exacerbavissent eosque ad Christianos contemnendos, quasi ii omni carerent humaniore cultu, et persequendos, quod reverentiam cuique magistratui debitam non servarent, imprudenter excitavissent, ii sane, neglectis simplicibus prudentiae praeceptis, Christi monentis: *γίνεσθε οὐν φόβημοι ὡς οἱ ὄφεις* parum memores pulandi fuissent. Jam vero imperatoribus Hadriano, Pio, Aurelio defensiones sive supplicationes pro Christianis tradidisse narrantur Quadratus, Aristides, Justinus Martyr, Athenagoras, Melito Sardinianus ep., Claudius Apollinaris ep. Hierapolitanus. At Quadrati, Aristidis et Apollinaris libri, qui apud Eusebium (hist. eccl. IV. 3. et 27) memorantur, apologetici, quomodo conscripti fuerint, quum jam fere nomina tantum exstent, dijudicari non potest, caeterorum vero unius Melitonis *πρὸς Ἀρτωνίων βιβλίδιον* ita instructum et adornatum fuisse videtur ut jure meritoque supplicatio ad imperatorem data nominari possit. Pauca quidem sunt, quae Eusebius (l. c. IV, 26) ex eo excerpta nobis servavit, sed ex quibus virum prudentem atque etiam calliditate quadam haud sane inhonesta ad finem propositum consequendum usum facile cognoscas. Queritur de novis imperatorum edictis, quibus freti delatores, pessimum hominum genus, alienarum opum cupidi, Christianos ubicunque aggrediantur eosque

impudentissime vexent. Addit tamen: καὶ εἰ μὲν σοῦ κελεύσαντος ταῦτα πράττεται, ἔστω καλῶς γινόμενον δίκαιος γὰρ βασιλεὺς οὐκ ἂν ἀδίκως βουλεύσαιο πώποτε καὶ ἡμεῖς ἠδέως φέρομεν τοῦ τοιοῦτου θανάτου τὸ γέρας — quum probe scire debuerit, utrum imperatoris illa edicta sint, necne, rem tamen ipsam quodammodo in dubium revocans. Causam primariam imperatorum animi Romanorum Christianis infensi bene perspectam quum haberet, quippe quibus persuasum esset, eam esse novae religionis vim atque indolem, ut fundamenta imperii subrueret majestatemque populi Romani cum cultu deorum patrio arctissime conjunctam minueret, immo aboleret, Melito solus, quod ego sciam, omnium fidei defensorum hanc opinionem falsam demonstrare summo opere nititur. ἡ γὰρ καθ' ἡμᾶς φιλοσοφία, inquit, πρότερον μὲν ἐν βαρβάροις ἤγκασεν. ἐπανθήσασα δὲ τοῖς σοῖς ἔθνεσι κατὰ τὴν Ἀιγυπτίου τοῦ σοῦ προγόνου μεγάλην ἀρχὴν, ἐγενήθη μάλιστα τῇ σὴ βασιλείᾳ αἴσιον ἀγαθόν· ἐκ τότε γὰρ εἰς μέγα καὶ λαμπρὸν τὸ Ῥωμαίων ἠδξήθη κράτος. Idem Augusti et Hadriani, qui rebus Christianis et favissent et justitiae leges in Christianis judicandis servassent, exemplis imperatorem ad justitiam aequitatemque etiam Christianis exhibendam commovere studet. Quae omnia ita comparata et dicta invenias, ut rei, quae in votis erat ut fiat, optime inserviant utque luculentissimum Pauli apostoli coram Arcopago et proconsule libere modesteque se defendentis exemplum recte imitentur. Quodsi vero Athenagoras et Justinus, uterque litterarum Graecarum cognitione imbutus, atque in philosophicis temporis illius disciplinis versatus, scripta sua apologetica ita comparaverunt, ut in iis conscribendis artis rhetoricae leges, quas cognovisse cujusvis ejus temporis viri docti intererat, fere consulto sprevisse videantur, id alia explicare ratione non poteris, nisi eorum accesseris sententiae, qui scripta illa non tam imperatoribus destinata fuisse affirmant, ut eorum mentes Christianis conciliarentur, quam eo consilio in lucem edita, ut fortitudinis et libertatis Christianae etiam coram summis magistratibus probandae illustre praeberent et fidelibus et ethnicis documentum. — Quis enim opinetur eos humanitatis atque cultioris ingenii speciem idcirco quasi contempsisse, quod ut apud Quintilianum est (inst. II. 12) fortius dicere videantur indocti, aut quod iis adnumerari voluerint, qui majorem habere vim credant ea quae non habeant artem, ut effringere quam aperire, rumpere quam solvere, trahere quam ducere putent robustius. Sed jam videamus, quomodo Athenagoras suam instituerit *προσβείαν περὶ Χριστιανῶν*; nam de Justinii apologiis neque hujus loci est dicere, et ea est utriusque scriptoris in defensione adornanda similitudo ut quod de illo dictum fuerit, etiam de hoc vim habeat et locum.

Est quidem defensoris officium, ut auct. ad Herenn. lib. IV breviter indicat, crimina diluere et propulsare, et haec quidem officii sui parte, si crimina, quae vulgus eo tempore contra Christianos in medium protulit, spectas, sincero et constanti animo Athenagoram functum esse nemo infitabitur. At etiam Christianum defensorem haud dedecuit, Quintiliani praeceptum observasse, qui inst. IV. 1. defensori suggerit: mores quoque si fieri potest iudicis velim nosse (defendentem). Nam prout asperi lenes jucundi graves duri remissi erunt: aut assumere in causam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua repugnabant, oportebit. At quo animo Marcus Aurelius, quove qui eum antecessit Pius Antoninus erga Christianos affectus fuerit, quibusque moribus et opinionibus uterque imbutus, nemo tum quidem temporis non cognovisse potuit. Et Marcus quidem praecipue justitiae laudem affectabat, itaque in iudiciis cautus erat, circumspectus, omnia religiosissime perpendens, mini-

meque is, qui quibusvis criminationibus temere prolatis aurem aut animum accommodaret. Itaque etiam Neandri sententia est<sup>3)</sup>, vix credi posse eum malignis et sinistris vulgi Christianorum vitae morumque obtreccionibus fidem habuisse, quum etiamsi non per tormenta, ut Plinius, quid esset veri quaereret, ille a Rustico edoctus garrulis quibusvis temere non assentiri (Comm. I. §. 7), facile intelligere deberet „sermone esse sine ullo certo auctore dispersos, quibus malignitas initium dedisset, incrementum credulitas.“<sup>4)</sup> Nihilominus omnis Athenagorae nostri disputatio in eo vertitur, ut tria illa quibus ethnici tunc quidem Christianos diffamabant ἐγκλήματα, ἀθεότητα, Θυέστεια δειπνα, Οιδιποδείους μίξεις, (cap. IV) vanas esse et inanes calumnias demonstraret, id quod imperatori fidem hujus modi criminationibus ultro deneganti demonstrare plane supervacaneum fuisse apparet<sup>5)</sup>. Sed ad vulgi credulitatem emendandam tali defensione revera opus fuisse, inde perspicitur, quod fere omnes saeculi illius fidei defensores<sup>6)</sup> horum ἐγκλημάτων mentionem fecerunt eaque refutare summo studio nituntur.

Jam vero quae Athenagoras de ridiculis gentilium fabulis, de diis turpia et abominanda perpetrantibus, de poetis ipsos deos vario modo culpantibus, de Aegyptiis, qui reges suos deorum in numerum retulerint, pluribus libri locis prolixè disputat, et quod cap. VII. satis argute de uno Deo colendo, argumentis ex ratione petitis, adstruere conatur, ea hominem supponunt, cui deos istos revera esse et, prout fabulae narraverint, vivere et agere persuasum est, qualem tamen Marcum fuisse nemo est qui concedat. Grato quidem animo (Comm. I. §. 3) a matre pietatis studium se accepisse (παρὰ τῆς μητρὸς τὸ θεοσεβές) agnoscit, et quae Diis (cod. I. §. 17) accepta fert, ea pium gratumque animum erga deos pro-

3. Neander hist. eccl. I. 103.

4. Quintil. instit. V. III.

5. In M. Antonini commentariis unus tantum, quod ego sciam, occurrit locus, qui ita intelligi posse videatur, ut ad illas quibus Christianos diffamabant criminationes pertineat. Legimus enim lib. III 26. τὸ μὲν τυποῦσθαι φανταστικῶς, καὶ τῶν βωσκημάτων τὸ δὲ νευροσπαστεῖσθαι ἐρημητικῶς, καὶ τῶν θηρίων καὶ τῶν ἀνδρογύνων καὶ Φαλάριδος καὶ Νερόνος τὸ δὲ τὸν νοῦν ἡγεμόνα εἶναι ἐπὶ τὰ φαινόμενα καθήκοντα, καὶ τῶν θεῶν μὴ νομιζόντων καὶ τῶν τὴν πατριδα ἐγκαταλείπόντων καὶ τῶν ποιούντων ἐπειδὴν κλείσῃ τὰς θύρας, i. e. Gatackero interprete: visorum imagines admittere, etiam pecudum commune est; affectibus tanquam fidiculis agitari atque abripi, feris quoque competit et effoeminatis et Phalaridi et Neroni, et Deos negantibus et patriam deserentibus et postquam fores sibi ocluserint quilibet perpetrantibus. Videlicet verba τὸ δὲ τὸν νοῦν ἡγεμόνα εἶναι ἐπὶ τὰ φαινόμενα καθήκοντα, ut hoc loco aliena sequenti periodo inserit interpres et ante ποιούντων suppleendum censet ὅτιοῦν. Qua in re consentientem habet novissimum Parisiensem editorem, i. e. Cl. Corayum, refragante tamen Schultzio in edit. min. Tauchn. Possunt tamen haec verba etiam loco suo explicari, modo φαινόμενα καθήκοντα recte accipimus: ratione uti duce ac magistra ad officia familiaris vitae vulgaria implenda etiam eorum est qui Deos negant, patriam deserunt, foribusque oclusis res suas agunt. En tibi ἀθεότης et Θυέστεια δειπνα et Οιδιποδίοι μίξεις Christianis objecta, quos tum etiam patriae minus quam par est amantes denotavisset. Collatis vero locis III. 7. 8. praecipue vero Epicteti III. 23, quem Gatack. laudat: οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τοὺς τοίχους προβέβληται καὶ τὸ οἰκίας καὶ τὸ σκότος ὅταν τι τῶν τοιούτων ποιῶσι καὶ τὰ κρύψαντα πολλὰ ἔχουσι τὸν δὲ κυνικὸν οὐ θέλειν δεῖ ἀποκρύπτειν τι τῶν ἑαυτοῦ, intelligimus Marcum Stoicorum philosophiae addictum omnino caeteros homines philosophice non viuentes, fortasse imprimis Epicuracos describere et castigare voluisse.

6. Vide Cl. Pauli notam ad Athenag. c. IV. Θυέστεια δειπνα.

dunt; etiam loco celeberrimo I. XII. 28. 7) se quod eorum potentiam jugiter experiatur et esse eos compertum habere et venerari eos profitetur. Sed quae aliis libri sui locis de natura deorum, quos coluit ipse, in medium protulit, ea non differunt ab iis, quae Stoici de hac re sentiebant et quae Gatackerus, Diogene Laertio, Epicteto, Stobaeo, potissimum vero ipso Marco autoribus usus, paucis optime exposuit 8). Quae quum fuerit Marci pietas, sequitur ut vulgi et imperitorum de diis fuitiles vanasque opiniones etsi non plane contemserit, tamen seria et justa refutatione vix dignas habuerit, quamvis eas ad servandam reipublicae societatisque humanae conditionem ac statum salubres et utiles judicare potuerit 9). Nam hoc modo accipienda et explicanda sunt, quae apud Jul. Capitolinum c. XIII legimus, qui eum quum terror belli Marcomannici per urbem et orbem grassaretur, undique sacerdotes accivisse, peregrinos ritus implevisse, Romam omni modo lustravisse atque Romano ritu lectisternia per septem dies celebrasse, memoriae prodidit. Neque aliter, quae Lucianus Alexand. s. Pseudopr. 48. de duobus leonibus narrat, quos bello contra Marcomannos gesto ex Abonotichitae impostoris vaticinio in flumen contra hostes pugnatueros immitti jussit, scilicet militum animis vaticinio illo auctis et ad majorem victoriae spem elatis in summo quod imminuit periculo utendum esse ratus. Quod vero Philostratus in vita Herodis Attici (Soph. II. 2. 31. ed. Par.) ei in votis fuisse ut sacris etiam Eleusiniis initiaretur refert, quodque Capitolinus eum revera initiatum innuere videtur 10), id neque eo quod vitae integerrimae famam affectaverit, neque quod sibi doctrinam de diis reconditiorem mysteriis illis traditum iri speraverit, explicemus necesse est, sed aut curiositate quadam ductus, aut ut Atheniensium praecipue Herodis animos sibi conciliaret, has caeremonias celeberrimas quidem, sed quibus ut Lobeckius demonstravit mystae in rebus divinis cognoscendis non ita multum profecerunt, subiisse putan-

7. Πρὸς τοὺς ἐπιζητοῦντας, Ποῦ γὰρ ἰδῶν τοὺς θεοὺς, ἢ πόθεν κατεληφῶς, ὅτι εἶσιν, οὕτω σέβεις; πρῶτον μὲν καὶ ὄψει ὁρατοὶ εἶσιν· εἶτα μέντοι οὐδὲ τὴν ψυχὴν τὴν ἑμαντοῦ εἴρακα, καὶ ὅμως τιμῶ. Οὕτως οὖν καὶ τοὺς θεοὺς, ἐξ ὧν τῆς δυνάμεως αὐτῶν ἐκάστοτε πειρᾶμαι, ἐκ τούτων, ὅτι τε εἶσι, καταλαμβάνω, καὶ αἰδοῦμαι. cf. I. 17. τὸ δι' ὀνειρώτων βοηθήματα δοθῆναι ἀλλὰ τε καὶ ὡς μὴ πτεῖν αἷμα καὶ μὴ ἰλιγγιᾶν, quae cuique Aristidem rhetorem in mentem laudocant, qui eodem modo ab Aesculapio somniis immissis sanatum se in λόγοις ἱεροῖς fusius narravit. Sed cf. quae Marcus comm. V. 8. de loquendi formula συνέταξεν ὁ Ἀσκληπίος disputat.

8. „Numen caeleste rerum humanarum curam gerere; nec universi tantummodo, sed hominum etiam singulorum et rerum quoque singularum; rebus humanis praesto esse, generique humano non ad bona vere sic dicta dumtaxat, sed et ad vitae hujus commoda et adminicula suppetias ferre. Deum itaque ante omnia colendum, ad omnia invocandum, per omnia cogitandum, in omnibus agnoscendum et comprobandum, de omnibus laudandum et celebrandum; huic uni in omni negotio simpliciter obsequendum, ab ipso quidquid obvenerit, animo prompto ac lubenti excipiendum atque amplectendum; nihil melius, nihil convenientius, nihil conducibilius quam id quidquid existat, quod ipse voluerit, existimandum; quocumque ducere visum fuerit citra tergiversationem aut murmurationem sponte sequendum; locum stationemque, quemcumque is assignaverit, strenue tuendum, etiamsi mortem millies opetere oporteret.“

9. Cic. de nat. D. I. 2. „atque haud scio an pietate adversus Deos sublata fides etiam et societas generis humani et una excellentissima virtus, justitia tollatur.“

10. „Athenis fuit, et inter alia Cereris templum adiit, ut se innocentem probaret et sacrarium solus ingressus est.“ Capitolin. XXVII. cf. Lobeck. Aglaoph. I. p. 17

duus est. Quamvis vero largiamur eum certioris de Deo divinisque rebus notitiae, quam quae a Stoicis traderetur philosophis, desiderio ductum ibi quaesivisse, quae animo veri amantissimo satisfacerent<sup>11</sup>), tamen commentarii ab ipso scripti eum multum abhorruisse a vulgaribus de diis opinionibus testes sunt locupletissimi. Quae omnia si reputamus, eam Athenagorae supplicationis partem, qua pluribus falsas illas de diis vulgaribus absurdasque opiniones demonstraverit, certe tali imperatori necessariam non fuisse, jure nostro contendimus; in quo tamen vituperandus non videbitur, si in libro scribendo non tam quem adloquitur imperatorem, quam homines respexit talia de diis suis sentientes.

Tum vero Athenagoras in doctrina Christiana explicanda argumentatione utitur, quae Christiano quidem fide divina jam imbuto competit et qua in rebus divinis probandis lubens volensque acquiescet, quae tamen imperatori Romano et Marco Antonino non mira non potuit videri. Namque ita de scripturis sacris loquitur easque testes ad veram religionem probandam adhibet ac si ejus consilium fuisset ut imperatorem ad fidem Christianam amplectendam commoveret. Nihil opus est fusius exponere, Athenagoram illud sperare nullo modo potuisse, id tantum ejus consilium esse potuit ut Marco persuaderet Christianos contra jus et fas ab ethnicis vexari, imperatorumque esse eos ab injuriis maligne illatis defendere iisque ut innocentibus atque bonis civibus patrocinari. Qui vero commoveri poterat Marcus, quum verba legeret, quae tantum non cum ironia quadam prolata suspiceris: (cap. VIII.) *τομῶ δὲ καὶ ἡμᾶς, φιλομαθεστάτους καὶ ἐπιστημοεστάτους ὄντας, οὐκ ἀνοήτους γεγονέναι οὔτε τῶν Μωσέως ὅπτε τῶν Ἡσαίου καὶ Ἰερειμίου καὶ τῶν λοιπῶν προφητῶν, οἳ κατ' ἐκτασιν τῶν ἐν αὐτοῖς λογισμῶν, κινήσαντος αὐτοῦ τοῦ θεοῦ πνεύματος, ἃ ἐνηγοῦντο ἐξεφώνησαν, συγγρασαμένου τοῦ πνεύματος ὡσεὶ καὶ ἀλλητῆς αἰλῶν, ἐμπνεῦσαι.* Nemo sane opinabitur, scriptorem temporum hominumque cognitione ita destitutum fuisse ut Marcum imperatorem ejusque filium, Commodum, Mosis ceterorumque prophetarum libros legisse putaverit<sup>12</sup>), — quapropter etiam paullo post, locis quibusdam prophetarum laudatis, addere non dubitat: *καταλείπω δὲ ὑμῖν ἐπ' αὐτῶν τῶν βιβλίων γερομένων* (si libros ipsos evolveritis) *ἀκριβέστερον τὰς ἐκείνων ἐξετάσαι προφητείας ὅπως μετὰ τοῦ προσηγόρευτος λογισμοῦ τὴν καθ' ἡμᾶς ἐπήρεια ἀποσκευάζσθε,* quibus verbis imperatores ad scripta illa diligentius legenda cohortari videtur — neque quisquam, Marcum propterea minus de veritate religionis Christianae dubitavisse eoque magis injuste Christianos in jus vocari et multis modis cruciari putavisse sibi persuadebit, quod Athenagoras locis e bibliis sacris petitis dogma Christianum de patre et filio probare potuerit.

11. Marcum mysteriorum quibus initiatus fuerit, vim et gravitatem haud ita magni fecisse, etiam inde patet, quod quum apud Graecos (cf. Lobeck. I. 69) Eleusinia praecipue ideo celebritatem nacta sint quia ad *εὐθανασία* et ad spem futurae magnae felicitatis sacrorum illorum cultores adduxerint, ille innumeris commentariorum locis plane immemor promissae sibi felicitatis Stoicorum placitis animum contra mortis metum corroborare conatur; atque de immortalitate animae admodum dubiam profert sententiam. cf. XII. 5.

12. Mirum etiam videtur quod Athenagoras ad ipsos imperatores provocat, ut concedant ὡς ἔστιν ἄλογον παραλιπόντας πιστεῖν τῇ παρὰ τοῦ θεοῦ πνεύματι, ὡς ὄργανα κεινηκότι τὰ τῶν προφητῶν στόματα, προσέχειν δόξαις ἀνθρώπιναις, cap. V. Caeterum quam angustis finibus Romanorum ipsorumque Graecorum de Judaeorum libris notitia circumscripta fuerit ex Tacito (hist. V. in.) aliisque qui Judaeorum mentionem fecerunt, cognoscas, cf. Gieselerum, qui hist. eccl. I. § 16, 17 locos huc facientes congressit.



Pertinent haec ad praedicationem evangelii, non ad supplicationem iudici ethnico eidemque philosopho et Stoico exhibendam.

Omnia quae hucusque disputata sunt reputantibus admodum dubium videbitur, num Athenagorae *περὶ Χριστιανῶν πρεσβεία* ex auctoris mente ac consilio potissimum ad imperatores, quorum inscripta est nominibus, referri debeat atque iis revera tradita sit. Primus, qui hanc dubitationem movit, ut a Gieselero edocemur <sup>13</sup>), fuit Baylius, quem plures deinde secuti sunt theologi, ipseque Gieseler dubiam de hac re profert sententiam. Concedendum, etiam in alteram partem nonnulla disputari posse. Nimirum quum Athenagoras in polytheismo refutando etiam Stoicorum sententias respiciat qui allegorica interpretatione sensum fabularum reconditiorem enucleare studuerunt, id potissimum Marci huic philosophorum sectae addicti causa eum fecisse contendere possis. At idem omnes fecerunt qui unquam idololatriae vanitatem demonstrare conati sunt, praecipue patres Graeci, Clemens, Origenes, quique omnia quae huc pertinent, in unum corpus redegit, Eusebius in praep. evang. Deinde quum Marcus unico, quo Christianos commemorat, loco (comm. XI. 3) eos reprehendat, quod *κατὰ ψάλλον παράταξιν* mortem obeant, neque considerate, composite, (*λελογισμένως καὶ σεμνῶς*), uti sapientem deceat, ideo Athenagoras cap. XXX. et XXXI. verum atque certissimum spei Christianae fundamentum explicasse videri poterit. Sed eandem criminationem fere omnes illius aevi fidei defensores respexerunt ac notum est Christianorum ejus temporis fervorem, quo sese ad quaestiones et supplicia ultro obtulerint, a permultis cujusvis generis hominibus vituperio notatum esse <sup>14</sup>). Denique quum nonnulla Athenagorae dicta quodammodo cum iis congruant, quae in Marci commentariis leguntur, hos fortasse aliquis contendat eum respexisse, ex. gr. c. XVII. *ἐγὼ μὲν γὰρ καὶ ἀνθρώπους ἀμαθείς καὶ σκαιούς λέγω τοὺς ὀργῆ καὶ λῦπῃ εἰκοντάς; c. XXVII. ὅτι ἀνωθέν πως ἔθος καὶ οὐκ ἐρ' ἡμῶν μόνον κατὰ τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε προσπολεμῆν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ; ibid., ἡμεῖς οἷς ὁ βίος ὡς πρὸς στάθμην τὸν θεὸν καλονίζεσθαι;* alia. Sed quamvis haec etiam in commentariis legantur, tamen hi post Marci mortem demum editi videntur neque tam propriae sunt Marco philosophanti illae sententiae ut non et Plutarchum et Epictetum similia de rebus humanis disputantes invenias. Itaque fateri non dubito, me eorum accedere sententiae, qui Athenagorae supplicationem non eo consilio conscriptam affirmant, ut revera imperatoribus quos auctor adloquitur traderetur <sup>15</sup>).

At alia est sententia Neandri <sup>16</sup>), cujus memoriam omnes pie recolunt, quibus obigit ut in discipulorum ejus numero haberentur cuique nemo in rebus ad historiam ecclesiasticam pertinentibus lubenti animo atque temere contradicat, quamquam is multum aberat, ut quemquam discipulorum vellet in verba magistri jurare. Is rejecit ut vanam atque falsam

13. Gieseler hist. eccl. I. 157.

14. Notum est illud Arrii Antonini: ὦ δειλοί, εἰ θέλητε ἀποθνήσκειν, κομηνοὺς καὶ βροχοὺς ἔχετε. Tertull. ad Scap. 5. ed. Leop.

15. Gibbon (hist. Rom. c. 15. Tom III p. 267 ed. germ.) difficultates in libris apologeticis obvias probe perspicens, ex inscitia Christianorum res suas defendentium eas explicat.

16. Neander h. e. I. p. 180: Die Annahme, dass die Anrede an die Kaiser, an den Senat und die Statthalter bloss Einkleidungsform dieser Schriften sey, nach Art der Übungsstücke (declamationes) heidnischer Rhetoren, passt gewiss nicht zur Lage und Stimmung der Christen dieser Zeit. Etiam Cl. Volckmar, theologus inter criticos scholae Tubingensis elucens, in libro modo edito „Die Religion Jesu“ Athenagorae apologiam imperatori vere traditam esse censet. Vide p. 22. l. l.

eorum opinionem, qui adlocutiones illas imperatorum, senatus, proconsulum in apologiis obvias meras habent dicendi formulas, quales in rhetorum declamationibus adhibitae fuerunt. Nimirum virum pium vereque religiosum taedet comparationis istius Christianae fidei defensoris cum rhetore qui nihil aliud spectat quam ut orationibus artificiose et speciose compositis gloriam adipiscatur inanem et fragilem. Et quis est, qui hanc non rejiciat comparationem? Sunt enim res Christianae et sublimes et profundiores, quam ut vel in scholis solum ad artem dicendi vel scribendi exercendam tractentur, neque fucis ementitis coloribus neque verbis nitidis figurisque speciosis opus est eloquentiae Christianae. Valet hic non quod Cicero ad Brutum scribit: eloquentiam, quae admirationem non habet, nullam judico; sed quae Theophilus ad Autolycum initio: *στομῶλον μὲν οὐκ στόμα καὶ φράσις εὐεπὴς τῶντων παρέχει καὶ ἔπαινον πρὸς κερὴν δόξαν ἀθλοῖς ἀνθρώποις ἔχουσι τὸν τοῦν κατεφθαμενον· ὁ δὲ τῆς ἀληθείας ἔραστῆς οὐ προέχει λόγους μεμασμένοις ἀλλὰ ἐξετάζει τὸ ἔργον τοῦ λόγου τί καὶ ὁποιόν ἐστιν*. Itaque si quis contendisset Athenagoram et Justinum in apologiis conscribendis rhetores illos imitatos declamationes elaborasse, ad solam ostentationem comparatas et quasi fictis materiis et controversiis ementitoque sermonis decore vanam expetivisse gloriam, eum sane indigna de primorum Christianorum sentiendi cogitandique modo atque falsa fellisset opinio. Neque sunt enim apologiae illae artificia rhetorica nec ex mente et consilio auctorum esse potuerunt<sup>17)</sup>. At movent nos hae Christianorum defensiones illius apologiae Platonicae, cujus finis non est, ut ipsa verba a Socrate causam suam coram iudicibus defendente prolata nobis exhibeat, sed ut vivam magistri imaginem legentibus ob oculos collocet, neque eam Socrates apud iudices, quos tamen adloquitur, habuit: sed Plato id studuit hae oratione scribenda, ut omnibus patefaciat et ostendat, qualem se in extrema vitae calamitate praestiterit vir sapientissimus. Hac enim ratione Atheniensium de viri innocentia et sanctitate morum iudicia corrigere vel confirmare se posse credidit Plato<sup>18)</sup>. Eodem sensu accipimus adlocutiones illas imperatorum, quas in Athenagorae et Justinii apologiis habemus. Causam hi viri vere christiani agebant religionis multifariam impugnatae et diffamatae apud universum ejus saeculi et orbis Romani populum, cujus praesides fuerunt imperatores: quid mirum quod defensiones ita adornarunt, ut aptae essent non solum ad imperatorum sed potissimum ad populi etiam animos commovendos, praesertim quum constet populares ac cives imperii eo tempore vehementius ipsis imperatoribus exacerbatos contra Christianos saevisse. Quodsi igitur libros istos imperatoribus quasi dedicaverunt eosque in fide defendenda alloquuntur, eos nihil in eo fecisse quod Christiana fide simplicitate et sinceritate indignum putari possit, certo nobis persuasum est. Praeterea parum intererat utrum libri isti ab imperatoribus legerentur necne, nunquam non utilissimi erant et ipsis Christianis, qui inde discabant quomodo argumentis vere Christianis se defendere possent, et ethnicis, qui saltem accuratorem religionis impugnatae argumentorumque quibus fulciretur notitiam ex iis haurire poterant. Tam vero Christianos scriptores non plane abhorruisse a quibusdam dicendi et narrandi formis, quibus res et gravius et ornatius explicarent, adhibendis, documento est Pastor Hermae, qui fere audacius, quam ab auctore Christiano expectaveris, doctrinas ad mores emendandos spectantes

17. Neand. I. I. Auch Meisterwerke apologetischer Kunst, was diese aus der Fülle der Überzeugung geschriebenen Apologien doch nicht waren, etc.

18. Stallb. praef. ad apol. Socrat. p. 4.

angelo magistro et interprete inducto proposuit, videlicet ut majorem iis auctoritatem conciliaret; neque eam spes fefellit. Porro documento sunt quae sub Clementis Romani nomine feruntur recognitionum libri, qui, ut inter omnes constat, fabulam de Petro apostolo peregrinante enarrant, ingeniose ab auctore eo consilio excogitatum, ut falsas illius saeculi de numine divino opiniones everteret. Sed si quis haec scripta, etsi Christianis priorum temporum summa digna habebantur aestimatione, quum origo eorum dubiae sit auctoritatis, testimonia gentini et veri Christianismi agnoscere dubitet, habemus Justini dialogum cum Tryphone Judaeo, disputationem, quae uti ab autore verbis concepta est, non habita esse videtur, sed multae de fide disputationes, quae inter Justinum Judaeosque aequales intercesserant, ipsi ansam dederunt, ut omnia quae contra Judaeorum dogmata in medium proferri potuerunt, hoc libro complecteretur. Habemus Qu. Minucii Felicis librum, nomine Octavii insignitum, quo eodem modo, quo Plato et Cicero usi sunt, dialogi occasionem ab auctore fictam invenies. Itaque nulla ratione propugnatorum Christianorum infringi credimus auctoritatem, nec ipsos injuria affici, si apologias illas non potissimum eo consilio scriptas affirmamus ut imperatoribus tamquam justae in causa judiciali defensiones sive ut supplicationes, quas subditi magistratibus in causa sua exhibere solent, traderentur. Libere et ingenue fidem suam professi sunt, ab injuriis sibi illatis se defendere studuerunt, sed multa dixerunt, quae imperatoribus partim supervacanea videri debuerunt, partim iis minime placere potuerunt, et quum nemo eorum, si Quadratum excipias, causam primariam animi imperatorum a Christianis abalienati attingeret et refellere studeret, quid mirum, quod de iis quae his libris apud imperatores effecerint, nihil cognitum est? Nam quae imperatores ad Christianos contra turbidos multitudinis ira concitatae impetus tuendos ad proconsules et praetores ediderunt edicta non Justini et Athenagorae defensionibus et studiis attribuenda sunt, sed propriae imperatorum justitiae laudem expetentium voluntati, quamvis hi libri apologetici, si forte ad eos pervenerit eorum notitia, sicut aliorum quoque vexatorum interpellationes<sup>19)</sup> animum eorum ad injurias reprimendas commovere potuerunt. Sed quod aliud beneficium Christianis largiebantur, quam id quod jam Trajanus praebuerat: (Plin. ep. X. 98) „conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt“? — quod benigni et clementis animi documentum satis acerbe Tertullianus deridet (apolog. c. 2). Quae eadem gratia Marci temporibus ita diminuta est, ut Christiani etiam publice conquirerentur variisque cruciatibus et tormentis ad fidem denegandam cogerentur. Itaque prorsus nihil Christiani ad id temporis defensionibus et supplicationibus effecerunt<sup>20)</sup>.

19. Euseb. h. eccl. IV. 13. εντευχθεὶς δὲ καὶ ὑφ' ἐτέρων ὁ αὐτὸς βασιλεὺς (Marcus) ἐπὶ τῆς Ἀσίας ἀδελφῶν παρτοίαις ὑβρεσι πρὸς τῶν ἐπιχωρίων δῆμων καταπορευμένων, τοιαύτης ἤξιωσε τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας διατάξεως· sequitur illa πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας data epistola.

20. Athenagorae libri ne mentionem quidem fecit Eusebius, qui tamen si ulla ejus fuisset in movendo Marci animo vis, ut est diligentissimus harum rerum scrutator, silentio hoc non praeterivisset. Apologetico Justini martyris primo in editionibus epistola Antonini Pii subjuncta est ἐπιστολὴ πρὸς τὸ κοινὸν τῆς Ἀσίας, quasi imperator Justini maxime apologia motus hanc epistolam in Christianorum gratiam dedisset, sed quam dubiis hic omnia nitantur argumentis, vide apud Neand. et Gies. Si quid hac ratione in gratiam Christianorum effici potuisset, id sane Melitoni ejus temporis fideles debuissent, cujus apologiam Euseb. IV. 13 *χρησιμωτατην* appellat; attamen etiam de eo, quod Melito apologetico suo effecit, altum apud Euseb. silentium.

Haec fere sunt quae de libro Athenagorae apologetico disserere in animo erat, quibus nonnulla addere possemus de iis quae Athenagorae propria sunt et notatu digna videntur. Ita quum c. 9 τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ παῖδα nuncupet, quum c. 28 ut dictum e libris sacris afferat εἰάν τις διὰ τοῦτου ἐκ δευτέρου καταφίλησῃ ὅτι ἤρρεσεν αὐτῷ, quum primus, quod sciam, matrimonium secundum rejiciat, ὁ γὰρ δεύτερος (γάμος) ἐμπροσθὲς ἐστὶ μοιχεία, haec et alia quae accuratius perpendantur digna sunt. Sed jam ad alteram dissertationis partem accedimus, qua de locis quibusdam, qui in novissima editione minus recte editi vel explicati videntur, disputare nobis proposuimus.

## II.

Statim libri initio locus occurrit, cui efficaciore medela, quam qualis hucusque ab editoribus adhibita est, videtur opus esse. Queritur enim Athenagoras, dum omnibus aliis populis et hominibus Romano imperio subjectis suis liceret uti legibus, suos colere Deos, hoc solis Christianis temere sane et injuste vitio verti. Iliensis quidem civis Hectorem deum praedicat et Helenam tamquam Adrasteam adorat. ὁ δὲ Λακεδαιμόνιος Ἀγαμέμνονα Δία καὶ Φυλονόην τὴν Τυνδάρεω θυγατέρα, καὶ Τέννην ὁ Τενεῶδιος (sc. θεὸν λέγει s. προσκυνεῖ.) ὁ δὲ Ἀθηναῖος Ἐφεσθίδι Ποσειδῶνι θύει καὶ Ἀγραύλῳ Ἀθηναῖοι καὶ τελέτας καὶ μυστήρια ἄγουσι καὶ Πανδρόσῳ αἱ ἐνομισθήσαν ἀσεβεῖν, ἀνοίξασαι τὴν λάρανα. Ita Cl. Paul lectionem loci constituit, videlicet in verbis καὶ Τέννην ὁ Τενεῶδιος recipiendis Gesnerum secutus, qui locum Ciceronis de Nat. D. III. 15. respiciens: „Iam vero in Graecia multos habent ex hominibus deos, Alabandum Alabandi, Tenedii Tenem,“ vulgatam Τέννην ὀδία hac ratione emendare conatus est<sup>1</sup>). Sed obstant quaedam, quae nos, quominus hanc viri doctissimi emendationem admittamus, impediunt. Primum mira sane videtur inter Ilienses, Lacedaemonios, Athenienses, quos consulto ex pluribus aliis elegisse autor putandus est gentibus, Tenediorum civitatis perexiguae interjecta commemoratio. Tum caeterorum nomina populorum secundum Graeci sermonis usum pronominibus ὁ μὲν — ὁ δὲ — ὁ δὲ scriptor induxit, Tenedios vero si lectio Gesneriana genuina habenda esset, praeter expectationem conjunctione καὶ adnexuisset. Denique sicut Agamemnonem narrat a popularibus Jovem cultum, ita Athenagoras narrare debuit, quae et qualis dea Phylonoë ab ipsis sit habita. Itaque exspectamus nomen alicujus Deae et talis quidem, quae juxta Agamemnonem — Jovem locum habeat, quod nomen equidem ex vulgata et codicum scriptura eliciendum esse censeo. Praebet vero vulgata, ut supra dictum, καὶ Τέννην ὀδία, codices notante Cl. Paulo: Τέννην vel Τέννην ὀδία, unus Petri Suffridi: ὀτρύννη ὀδία. Sui codicis lectionem tuebatur Suffridus et recte perspicuens, deae nomen hoc loco exspectandum esse, per ὀτρύννη ὀδία Proserpinam significari putavit, quae ὀδία in triviis, ut Mercurius ὀδιος, ὀτρύννη vero, quod homines ad orcum deduceret et fatalem gereret virgam, vocata esset. Quae tamen explicatio nemini satisfaciat. Jam vero quod Apollodorus, qui unus Phylonoës illius mentionem facit, hanc Tyndarei filiam

1. Fortasse praeter supra memoratam etiam alia Gesnero ita emendandi causa fuit. Pausanias enim, qui X. 14. 1. Tennis historiam enarrat, alteram Cycni uxorem Φυλονόμην nominat, ubi Reinsius secundum Walzii ad h. l. notam Φυλονόην ediderat. Hanc nominis similitudinem Cl. virum ad suam emendationem recipiendam movisse facile conjicias.

tradit (III. 10. 6.) a Diana immortalem esse redditam, id nos monet ut nomen circumspectiamus, qui huic ipsi deae et simul codicum scripturae maxime conveniat. Nam certo quodam religionis vinculo Dianam et nympham sive virginem, quae ab ea immortalitatis dono praedita sit, conjunctas fuisse, nemo qui in rebus mythologicis investigandis versatus est, infitias ibit. Nullum vero aliud Dianae cognomen hoc loco facilius reponi posse autumo, quam notissimum illud Dictynnae, quo reposito locus vexatus ita restituendus esse videtur: ὁ δὲ Λακεδαιμόνιος Ἀγαμέμνονα Δία καὶ Φυλονόην τὴν Τυρδάρω θυγατέρα Δίκτυνναν sive, quod propter codicum scripturam magis placet, Δικτύνην ἢ ὀδίαν, ubi antea legebatur καὶ Τέννην ὀδίαν. De voce ὀδίαν, quum codicum consensu firmata sit, pauca infra notabimus, sed ne nomine Dictynnae<sup>2)</sup> reposito fortasse audacius emendandi jure usi videamur, haec nobis liceat addere.

Ac primum quidem Athenagorae codices in nominibus propriis, quae quidem librariis minus nota fuerint, exhibendis interdum mirum in modum peccasse, etiam aliis ex locis apparet. Ita cap. XIV. legimus: ὁ δὲ Πυθίος (sc. statua Apollinis) ἔργον Θεοδώρου καὶ Τηλεκλέους<sup>3)</sup> καὶ ὁ Δήλιος καὶ ἡ Ἀρτεμὶς Ἰδεκταίου καὶ Ἀγγελίωνος τέχνη, ubi novissimus Athenagorae editor se de Idectaeo et Angelione statuaris nihil reperire potuisse fatetur. Quod tamen mirum non est. Loco enim Ἰδεκταίου scribendum et legendum Τεκταίου, uti jam secundum Meyeri ad Winckelm. art. hist. IX. 1. 5. notam Heynius emendaverat quodque Cl. Paul nihil haesitans recipere debuit. Pausanias enim duobis locis II. 32. 5. IX. 35. 3. hos commemorat artifices, qui discipuli Dipoeni et Scyllidis, Callonis magistri, Delis Apollinis ἄγαλμα fecerant. Eodem capite Athenagorae legimus: Ἀθηναίων καθημένην Ἐνδοῦς εἰργάσατο μαθητὴς Λαιδάλου et in sua ad hunc locum nota Cl. Paul de Endyo Daedali discipulo loquitur, quum tamen e loco ab ipso prolato Paus. I. 26, 5. et ex aliis (Paus. VII. 5, 4. VIII. 46, 1.) manifestum sit, nomen artificis Ἐνδοῖον fuisse. At nemo sane affirmet, horum culpam mendorum Athenagorae, quamvis, ut ex libro ejus facile animadvertas, mediocri tantum artis scientia<sup>4a)</sup> imbutus fuerit, imputandam neque potius in librariorum incitiam transferendam esse<sup>4b)</sup>. Itaque etiam nostro loco ex v. Δικτύνην s. Δίκτυνναν illud καὶ Τέννην exortum esse non est quod miremur.

2. Apud Herodotum III. 59. 7. forma nominis simplici N scripta occurrit, τῆς Δικτύνης; eandem apud Palaeph. de incred. XXXII. p. 296 ed. Western. legimus, ubi tamen tres codd. Δίκτυνναν habent. Benfey lex. rad. gr. formam duplici N scriptam primam ac genuinam censet. Exemplis nominum eadem ratione mutatorum nomen urbis Maced. addas, in nummis ΟΡΡΗΣΚΙΩΝ et ΩΡΗΣΚ. scriptum. cf. Müller, Denkm. d. alt. Kunst I. tab. XVII. 84. 85. et Wessel. ad Herod. I. 1.

3. Editor novissimus ad h. 1.: „quaenam Pythii Apollinis statua intelligatur sciri non potest, quum a Theodoro et Telecle Apollinem esse factum ex aliis scriptoribus nusquam compertum sit.“ Sed Athenagoram explicat Diod. Sic. bibl. I. 98. Bekk. τῶν τε ἀγαματοποιῶν τῶν παλαιῶν τοῖς μάλιστα διωνομαζόμενοις διατετριφέναι παρ' αὐτοῖς (sc. Aegyptiis) Τηλεκλέα καὶ Θεόδωρον τοῖς Ροίκον μὲν υἱόυς, κατασκευάσαντας δὲ τοῖς Σαμίοις τὸ τοῦ Απόλλωνος τοῦ Πυθίου ἔορανον. cf. Winckelm. Gesch. d. K. II. 4. 2. Müller Archäol. §. 70.

3a. Eum etiam in mythologicis tradendis interdum minus accuratum fuisse, illud ἀνοίξασαι n. 1. abunde demonstrat.

4. Neque magis Athenagoras in culpa esse videtur, quod cap. XI. legimus: ὕπνω καὶ θανάτῳ διδυμάονε, ubi Cl. Paul notat: „nescio cujus auctoris haec verba sint,“ fortasse ipsa hac lectionis

Deinde Athenagoras, quum Phylonoën Artemidis forma et specie cultam tradidit, minime quod omnem fidem excedat et plane non sit verisimile memoriae prodidit. Neque enim desunt virginum heroinarum exempla, quae non solum cultus huic deae tributū participes fuerunt, sed etiam divini nominis honores adeptae sunt. Notissima Herodoti (IV. 103) quem Pausanias (I. 43, 1) laudat (cf. Strabo XII. p. 752. Mein.) narratio, Tauros deam cui abominandas hostias immolaverint Iphigeniam Agamemnonis filiam nominasse. At fuit illa dea Ἀρτεμις Ταυρικὴ s. Ταυρόπολος<sup>4 u</sup>). Eodem modo quin Callisto Lycaonis filla eadem sit quae Diana, quam Arcades nomine καλλίστης s. Callistus venerabantur, nemo est recentiorum mythographorum, qui dubitet<sup>5</sup>). Idem de Atalante Jasi s. Schoenei filia et jure quidem affirmant<sup>6</sup>). Hae omnes quum heroum e gente exortae tamquam totidem deae illius formae et species cultae fuerint, quid mirum est quod Athenagoras etiam Phylonoën Tyndarei filiam a Lacedaemoniis tamquam Artemin cultam fuisse enarravit? Solus quidem hoc tradidit, sed nonne etiam solus Helenam pro Adrastea habitam fuisse auctor est? et quamvis unus omnium quod sciamus Neryllinum commemorat (cap. XXIII.) „cujus statuam auro illinant et coronent Troadenses“ tamen Lobeckius, qui saepe non propensus est ad fidem cuique fabulae temere habendam, Athenagorae testimonio primo ad rem suam probandam uti non dubitat. (Aglaoph. p. 1171.) Itaque non longe a vero me abesse credam, quum, quam Pausanias III. 12, 7. Dictynnae Spartaee cultae commemorat aedem, in extrema Aphetaide prope muros aedificatam, eam nostrae potius heroinae dedicatam affirmaverim. Ibi enim plura heroibus dicata delubra recenset periegetes, ut regia Eurypontidarum sepulcra, Arsinoës templum Leucippidis, paullo ulterius Jamidarum monumentum, templum Maronis et Alpei Thermopylomachorum, alia. Sed hujus quidem rei certum nos documentum afferre non posse libere fatemur.

Denique etiamsi Athenagorae Lacedaemonios Phylonoën heroinam divinis prosecutos esse honoribus referenti libenter fidem habemus, hoc tamen nolim ita intelligi quasi ipsum de sensu abscondito et arcano, qui fabulae de Dictynnae traditae inesse videatur, cogitasse putaverim. Nihil sane in sententia proferenda curabat illam de Britomarti virgine historiam, quae nomini Dictynnae fingendo ansam dedisse fertur, nihil profectiones illius sive deae sive nymphae e Creta insula Aeginam et inde per oras maritimas usque ad Magnam Graeciam<sup>7</sup>). Neque etiam ipsos Lacedaemonios in cultu Phylonoae exhibendo haec Dictynnae naturam respexisse credam. Sed ut Ilienses Hectorem tamquam Martem defensorem coluisse putandi sunt et Lacedaemonii Agamemnonem ut Jovem Regem, utrique memores Hectorem et Aga-

---

forma deceptus. Erat autem scribendum aut ὕπνον καὶ θάνατον διδυμάοις aut ut apud Hom. II. XVI. 672 et 681: ὕπνον καὶ θανάτων διδυμάοισιν. Ita enim et Plut. Consol. ad Apollon. 128. ed. Paris. nulla contextus ratione habita haec verba laudat.

